Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1441
Quelle:
Copyright:

procedendi talis: *Consideracio processus humani generis, quomodo quidam proficiunt ad beatitudinem quidam vero deficiunt ab ipsa.* Psalmus. Beatus vir qui non. 2) *Teret malos, ut non insurgant contra bonos, qui grauiter puniuntur a christo.* Quare fremuerunt gentes. Et sic per omnes. Ad calcem:

Ter quinquagenos Dauid canit ordine psalmos.
Versus bis mille sexcentos sex dedit ille.

Additur:

Quatuor ex puris vitam ducunt elementis.
Terra cibat talpam, flamme pascunt salemandram,
Vnda fit alleci cibus, aer camaleonti.

XXV. *fol.* 243. *Tractatus de corpore christi Domini Boneuenture.* Init: *Ad honorem gloriose et indiuidue trinitatis — describam tibi formam* &c. et extat edit. Opp. *Lugd.* 1668. T. VII. p. 67. inscriptus *De Praeparatione ad Missam.*

XXVI. *fol.* 248. p. 2. *Bulla Urbani* V. qua prohibentur Superiores religiosi exigere a recipiendis Tironibus Prandia sumtuosa, Coenas, Pecunias, *Jocalia* (Joyaux, Jewells, Juwelen) &c. Incipit: *Ne in vinea Domini nostre licet insufficientibus meritis commissa custodie* &c. et data est *Romae 2°. nonas April. anno septimo.* Id est 1369. Raro obvia legitur *Annal. Eccl. Odor. Raynaldi* T. XVI. p. 482. et instaurata est a *Gregorio* XI. *Avenione XII. kal. Mart. anno II.*

XXVII. *fol.* 250. *Richardi Fleming* seu *Flemmynge Angli* Theologi Prof. *Oxon.* qui a. 1420. ad Sedem *Lincoln.* promotus Collegium inde dictum *Oxonii* a. 1427. fundavit et a. 1430. obiit, *Sermones* V. habiti *Constantiae* in Concilio docti et graves, qui neque in Collectione a me inter *Codices Synodicos Vol.* I. P. 3. nec in gemina a *Schelhornio Amoenit. lit.* T. III. et XI. relata, nec apud *Herm. v. d. Hardt* memorantur, solo *Tannero* in *Bibl. Brit. Hib.* p. 287. indicante *Orationes* ejus *in Concilio Senensi*, ubi fortasse rescribendum *Constantiensi*, quamvis *Richardus* etiam illi Synodo a 22. *Jun.* 1423. usque ad 26. *Febr.* 1424. tentatae interfuerit. Hac occasione errorem noto T. XVII. *Concill. Labb.* edit. *Venet. col.* 95. quo dicitur Concilium *Senis* celebratum a. D. 1423. *et sequentibus.* Jam ad ipsos Sermones. Thema I. est: *Accipiant, qui vocati sunt. Hebr.* 9. 15. Initium: *Preclarissimi Patres* &c. *pro exili processu et serie subsequencium omissa in presenciarum consideracione subtili de diuine vocacionis proprietate tripharia* &c. Omittit igitur caussam efficientem, materialem